
WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

HISTORIÆ
MEDICAE.

Certè ægrotantium Hiſtoriæ ſigillatim enarratæ, ſi cum fide & judicio pertractentur, id commodi habent, ut minutiſſima quæque morbi diſcrimina, in quibus internoſcendis maximè perſpicitur Medici acumen, ob oculos nobis dilucidè ponant, certamque medendi rationem, quaſi digito commonſtrent. *Freind.*

Authore GULIELMO CLINCH, M. D.



LONDINI:
Impenſis *Johannis Clarke* ad Excambium Regale.
M.DCC.XXXIII.

Doctiſſimo Viro

Joh. Skelton Medico *Ledenſi*

Gul. Clinch Eboracenſis S. D.

CUM æſtate proxime elapſa tecum, vir humaniſſime, in eo oppido quo diu ſumma cum tua laude medicinam feciſti, conſilia medica miſcerem, non potui quin laudarem fortunas meas, quod tunc temporis neceſſitudinem amicitiamque tuam amplectendi mihi data eſſet occaſio: Ecquid enim mihi magis foret optandum, quam ut virum vitæ integerrimum, me-

dendi ſcientia inſtructiſſimum, in ancipiti periculoſoque caſu haberem conſiliorum adjutorem? Ubicunque enim præcipit præclari nominis medicus, ſi quid aliquando minus proſpere inciderit, ut ægrotantium perquam lubrica eſt res, id ita accidiſſe, nec minus recte, judicant homines; non quod morbum curare neſciverit medicus, ſed quod is ipſe nulla ope medica curari potuit.

Vellem quidem omnes, qui in hac noſtra Britannia medicinæ operam dant, eandem, quam tu, ſtudiorum rationem inirent, nec, quod hodie nimium multis fit, ad exteras

regiones eas artes & diſcipli-nas diſcendi gratia ſe reciperent, quæ domi in noſtris Academiis melius traduntur. Ecquis autem horum hominum frugalitatem incuſet? qui intra unius aut alterius anni ſpatium magni nominis doctores ad patriam ſuam remigrant, cum noſtræ Athenæ neminem medicinam facere ſinant, qui non plures annos acri & aſſiduo ſtudio conſumpſerit. Quis non potius eorum hominum ſtultitiam miratur? qui in cæteris rebus ita omnino ſunt ſolliciti, ut nec ſutor ocreas, aut ſartor tunicam conficere eum patiantur, qui in arte ſua ediſcenda haud

totum ſeptennium ſudaverit; valetudinis autem curam unius anni Medicis imperitis & indoctis ſæpius committunt. Tu tamen, vir amiciſſime, qui prima iſtius, quam profiteris, artis elementa apud Cantabrigienſes hauſiſti, noſtras Academias artium omnium ac ſcientiarum feraciſſimas colere & amare pergas, nec publicum hoc mei erga te officii teſtimonium accipere dedigneris.

Vale.

LEC-

LECTORI salutem.

UT *Grammaticorum nemo artis ſuæ regulas ſine exemplis apte poteſt explicare, ita neque Medicus praxeos ſuæ rationem ſine particularibus obſervationibus dilucide queat exponere. Igitur utilis omnino ea mihi videtur ſcribendi ratio, quam in Phthiſiologia ſua tenuit* Mortonus, *qui nuda morbi deſcriptione parum contentus unicuique tabis ſpeciei unam aut alteram hiſtoriam ſubjungit, in qua medendi methodum perſpicue & quaſi digito commonſtrat. Id quidem vere mihi videor eſſe dicturus, plus cognitionis ad morborum curationem paucis ægrotantium hiſtoriis bene & fideliter enarratis nos poſſe aſſequi, quam multis voluminibus, quæ ſupervacua pulſuum diſtinctione, inepta ſymptomatum ratione, aut variis præſcriptorum formulis, quibus plerumque*

plerumque intumescunt Medicorum scripta, refarciuntur. Hanc *itaque* Hippocrates *Epidemiorum libris scribendi viam persecutus est, hanc unusquisque qui lectoribus prodesse simul & delectare velit, persequatur necesse est. Nollem tamen, quæ hic dicta sunt, ita accipi, quasi existimarem, pulsuum aut morborum symptomatum peritiam ad scientiam medicam parum referre; e contra qui de his minus recte judicat, medendi arte parum proficiet. Id tantum affirmo quod multiplex ea pulsuum & symptomatum divisio, quæ in recentiorum scriptis vulgo occurrit, Medicinæ studiosos adeo parum juvet, ut potius in errorem agat. Minus adhuc legentibus eorum proderunt scripta, quæ in theorematis & commentis fictitiis versantur; speciosæ enim utcunque sint, quæ ex philosophicis principiis deducuntur hypotheses, ipsæ tamen, cum ad morborum curationem adhibentur, adeo non medentem dirigunt,*

ut

ut etiam fallant: In ægrotantium vero historiis multo aliter se res habet; ibi enim non modo singulas morbi mutationes quasi præsentes intuèmur, verum etiam quo medicinæ genere in ejus curatione utendum sit, perdiscimus.

Plerique Medicorum in ægrotantium casibus describendis, temporis quidem multum, operæ verò & laboris parum consumpserunt; etenim in morbis acutis ægritudinum momenta de die in diem rarò aut nunquam exhibent, quæ ut penitus pernoscantur omnino est necesse, quo melius suo quæque tempore reperiantur expedianturque remedia. Medicamenta, quibus ad tollendos morbos usi sunt, ubique fere recensent; notas autem morborum, alias obscurè explicant, alias ex toto prætereunt, ita ut cur hoc potius quam illud medicinæ genus adhiberent, haud dignoscere omnino valeat lector: Hos autem recentiorum errores facillime perspexit vir & ingenio

& eruditione, dum viveret, longe præstantissimus Johannes Freind, *qui veterum vestigiis insistens meliorem tum scribendi tum medendi viam commonstravit; & ut is ipse clarorum virorum ingeniis, maximeque antiquissimi* Hippocratis *multum fuit adjutus, ita posterorum quenquam ab illo adjuvari haud erit inglorium.*

Non nimium multæ sunt quæ sequentibus paginulis Ægrotorum depinguntur historiæ; neque enim æquum esse censeo, lectorem aliter forsan satis occupatum longius demorari, præsertim cum in medicina perinde ac in cæteris artibus unum aut alterum exemplar perito sufficit artifici.

Si quid ego ad communem Ægrotantium rem per has observationes contuli, scribendi propositum sum assecutus; sin minus, ingenii facultatem non voluntatem defuisse mihi intelligas.

Datum Eboraci
29. Sept. 1732.

Hiſtoria Prima.

ANNO 1729. menſe Maii, virum ſexagenarium, perantiquâ familiâ in agro Eboracenſi oriundum, invaſit affectio ſpaſmodica, in qua nervi muſculique verſus ſuam originem ita omnino præter voluntatem convellebantur, ut membra in debito ſitu & quiete haud unquam continere potuerit. Brachia manuſque huc illuc mirum in modum agitabantur; crura & pedes viciſſim divaricare, mutuò concutere, & alternatim tranſponere neceſſe habuit; idque illi in cathedra ſedenti, vel in lecto decumbenti, niſi dormienti, continuò accidere ſolebat. Incipientis paroxyſmi hæ fere aderant notæ; capitis nutatio, & ad ſomnum proclivitas, quæ ſymptomata vehementiſſimæ totius corporis ſuccuſſiones & huc illuc deflexiones excipiebant;

bant; & veluti chorda muſica in uno extremo percuſſa ad alterum uſque vibrat, ita in hoc caſu nervorum in cerebro principia à morbida materia irritata eorundem contractiones motuſque convulſivos per integrum corpus fecerunt.

In initio morbi, ſanguinis miſſione, emetico, leni purgatione, aliiſque quæ malum tollerent, aut ſaltem minuèrent, ægro opitulari conabatur vir rei medicæ experientiſſimus *Henricus Johnſon.* Cùm poſt aliquot dies ego ad ægrotum accerſebar, ut cum viro egregio ſociam navarem operam, unanimi conſilio ſic præſcriptum eſt.

℞ *Tinctur. ſacr. cum duplic. quantitat. ſpecier. in vin. alb. ppt.* ℥*v. elix. ſalut.* ℥*j. m. f. Tinctura laxativa, de qua ſumat cochlearia ij quartâ quaque nocte, horâ decubitûs, doſin augendo pro re nata.*

℞. *Pulv. ad. Guttet.* ʒß. *Caſtor. pulv. gr. vj. Syrup. Pæon. q. ſ. m. f. Bolus*

Bolus 6tâ quaq; horâ ſumendus; ſuperbibendo cochlearia iv. Julap. ſequentis diebus à purgatione liberis.

℞. *Aq. Lact. alexiter. Ceraſ. nig. ana. ℥iv. Aq. Pæon. C. ℥iij. Syrup. Pæon. ℥j. m. f. Julapium.*

Sed cùm hæc parum aut nihil proficerent, ſi quid auxilii à veſicantium ſtimulo afferri potuerit tentare decrevimus. Duo itaque veſicatoria tibiis internis ſunt admota, hauſtumque ſequentem omni nocte horâ ſomni ſumpſit;

℞. *Rad. Valerian. ſylveſtr. ʒj. Aq. Ceraſ. nig. Rut. ana. ℥jß. Tinctur. Caſtor. ℈j. Syrup. Pæon. ʒij. m. f. Hauſtus.*

At ne ſic quidem lenitur malum; quare cùm inter nos ſeriò ſermonem haberemus, quâ potiſſimùm medendi viâ in difficili hoc caſu ulterius procedendum eſſet, corticis Peruviani mentionem feci, dixique, fieri

forſan

forſan poſſe, ut idem unà cum aliis medicamentis antiſpaſmodicis adhibitus prodeſſet: ſed cùm hujuſmodi vitia à fibrarum contractione oriri, per aſtringentia proinde, cujuſmodi erat cortex Peruvianus, ingraveſcere diſputaret vir experientiſſimus, omnem de ea re diſceptationem tunc temporis miſſam fecimus; & in uſu boli antiſpaſmodici cum infuſo viſci quercini aliiſque id genus remediis aliquamdiu perſtitit ægrotus: & quia malum à cerebro naſci viſum eſt, fontanellæ, quæ morbi fomitem intercipiendo & evacuando ad curationem conducerent, in dorſo excitabantur; veſicantia enim tum nuchæ tum cruribus hactenus ſine fructu adhibita. Sed cùm hæc cæteraque fere omnia, quæ nervorum vitiis adhiberi ſolent, fruſtra eſſemus experti, de cortice Peruviano iterum ſermonem intuli; & quoniam nuper ſub veſperi quaſi periodicè rediiſſent ſpaſmi, & urinæ ſedimenti multum depoſuerant,

ut,

ut, quid poſſet idem, periculum faceremus, propoſui, præſertim cùm jam ſymptomata ejus uſui aliquantulum favere viderentur; quare annuente viro egregio ſic præſcripſi.

℞. *Cort. Peruv. pulv.* ℈j. *pulv. ad Guttet. gr. xv. Cinnab. nativ. gr. vij. Caſtor. Ruſſenſ. gr. iij. Syrup. Pæon. q. ſ. m. f. Bolus ter in die ſumendus.*

℞. *Aq. Ceraſ. nig.* ℥vj. *Puleg. Pæon. C. ana.* ℥j. *Tinct. Caſtor.* ʒij. *Syrup. Pæon.* ʒvj. *m. f. Julap. cum bolis, & in languoribus ſumend.*

Sed ne hæc quidem ſuccurrebant: tandem ne ſtomachus, qui tum cibum tum medicamenta jam faſtidire inceperat, imbecillior fieret, ægro conſulimus, ut pro tempore ab omni medicina temperaret, & vomitionem ſemel aut bis in ſeptimana cum aqua carduata provocaret; unde rediit cibi cupiditas, & aliquantulum refectæ ſunt vires; motus tamen convulſivi,

ſed haud ita graves aut frequentes perſtitere : quare cum nullus jam amplius medicinæ locus eſſe videretur, ad thermas calidas Buxtonenſes, (ad Bathonienſes peregrinari impotens) noſtro conſilio profectus eſt, earumque aquis hauriendo pariter & lavando uſus eſt; unde poſt menſem ad Eboracum redux meliuſcule ſe habuit: nihilominus nervorum contractiones adhuc permanſere. Non longo vero poſt in febrem putridam cum tuſſi convulſiva conjunctam incidit, à qua noſtro auxilio, ſed non ſine ſummo vitæ diſcrimine, convaleſcebat, affectioque ſpaſmodica, quæ omnem medicinæ opem diu eluſerat, decedente febre, deceſſit. Hæ verò morbi induciæ nimis erant breves; poſt aliquot enim ſeptimanas redierunt ſpaſmi, ægrotantem, ad extremum vitæ terminum, ni fallor, exagitaturi.

Hiſtoria

Hiſtoria Secunda.

SUB initio autumni domina *Watkinſon* vidua quinquagenaria dolore nephritico à renum calculo cœpit laborare, qui intra paucos dies urinæ ſuppreſſionem intulit; ægrotæ curam habuit vir doctiſſimus *Cliftonus Winteringham*, qui, cæteris minùs ad ſpem reſpondentibus, lapidis expulſionem promoveri poſſe, ſi grana aliquot calomelanos cum medicamentis diureticis adhiberentur, prudenter judicabat: Cùm ego primum acceſſi, ut cum viro doctiſſimo decumbentis valetudini unà conſulerem, nullam omnino urinam per octo dies reddiderat ægrota, & quod hujuſmodi caſibus perfrequens eſt, penè inexpugnabilis aderat dormiendi neceſſitas; quare in his ferè deſperatis ægrotæ rebus, veſicatoria tria nuchæ &

brachiis internis adhiberi, & calomelanos iterationem præcepimus, unde ter fuſa eſt alvus, neque tanta aderat ad ſomnum proclivitas, adhuc tamen urinæ reſtiterunt; mane proximo altera duo veſicatoria cruribus internis applicabantur, & veſperi eadem ut priùs adhibita eſt medicina cathartica, unde alvus modico cruore perfuſa quinquies deſedit: at jam demum poſt undecim dies profluxit denuo urina, & die ſubſequenti, lapide ad fabæ magnitudinem excluſo, ægra convaluit.

Infinita penè ſunt quæ in ſcriptis Medicorum contra calculum inveniuntur remedia, & ut quiſque ſuorum vires ſupra modum extollit, medentis animus ex ingenti hac medicamentorum farragine adeo plerumque impeditur, ut, quo potiſſimùm uti debet, omnino neſciat; cùm ſi unum aut alterum ex efficacioribus modò indicarent, decumbentis ſaluti

plus consulerent, morborum quippe curationes non tam à remediorum numero, quàm à prudenti eorundem adhibitione pendent.

Inter Recentiores primus, uti arbitror, qui mercurium dulcem ad urinæ difficultatem præcepit, fuit *Etmullerus*; circa idem tempus eandem medicinam ad renum morbos adhibuit famæ commendatioris vir *Nicolaus Chesneau*: neque sanè si peritè adhibetur, vix ullum in hujusmodi affectibus efficacius excogitari potest remedium. Nemo verò Medicorum, quòd scio, si unum *Riverii Reformati* editorem excipias, vesicantium ad ciendas urinas meminit, neque is quidem, nisi perfunctoriè, & quasi raptim eorum inter alia mentionem facit, quod eo magis mirandum, quo quisque cantharidum vires ad movendas urinas, si introsumantur, intelligit. Nec si vesicantia, quod aliquando fit, dysuriam inferant, ideone ab eorum usu debemus temperare, quo-

ties rei neceſſitas exigit[a]. Quomodo verò ad renum morbos applicari poſſunt cantharides alibi explicavi. Non abs re fore judicavi, ſi hoc in loco hiſtoriam dominæ *Harland*, utpote iſtæ quam modò retuli maximè affinem, attexerem. Illa quidem per plures annos renum calculo laboraverat; jam verò paulo antequam ad eam accerſerer, nulla ferè elapſa eſt ſeptimana in qua lapillos non excerneret; tandem urinæ reſtiterunt, ita ut per quinque dies ne guttulam quidem redderet: quare ut hoc malum quàm citiſſime diſcuterem, decem guttas tincturæ cantharidum ex hauſtulo emulſionis communis ad duas vel tres vices ſumendas præcepi; has verò guttulas bis ſolummodo ſumpſerat, cùm libere ſatis profluxerint urinæ, & non multo poſt tres lapillos calculi grandioris portiunculas excrevit. Tincturam

[a] *Vid. Commentariolum de uſu idoneo Veſicantium, ad calcem novæ editionis Ruffi Epheſii.*

turam hanc, quoniam à vulgaribus hujuſmodi formulis aliquantulum differt, hìc loci deſcribere haud alienum eſſe judicavi.

℞. *Cantharid. præparat. ʒiij. Ocul. Cancr. Pulv. ſem. Amios. ana ℥ß. Sal. prunel. ʒiij. Infunde in ſpiritu vin. rectificat. Camphorat. ℥iij. ut fiat Tinctura.*

Anno ſubſequente huic ægrotæ urinæ itinera à renum calculo denuo impediebantur, nec ullâ ope medicinæ expediri potuerunt, quæ proinde decimo nono morbi die vitam efflavit.

Hiſtoria

Hiſtoria Tertia.

FIlium domini *Emanuelis Stabler* civis Eboracenſis, puerum undecennem, prædurus in utroque genu & manuum carpis, ſine ſenſu, ſine dolore afflixit tumor, in nodos quoſdam & tubera degenerans, unde genubus tanta inerat imbecillitas, veſperi præſertim, ut neque incedere, neque pedibus omnino ſtare potuerit; continua inſuper tuſſis eum ita exercebat, ut noctes ferè inſomnis ageret: ut igitur tuſſim, quæ vehementiſſimè urgebat, tabemque minabatur, quàm maximè ſublevarem, atque etiam tumoribus, qui à malo habitu naſci & ſtrumarum naturam induere videbantur, ſimul proſpicerem, electuarium ex conſerva roſarum, ocul. cancror. corall. rub. & æthiop. mineral. confectum bis in die cum lacte aſinino imperavi; noctu linctus, qui tuſſis

vehementiam minueret, quietemque aliquam conciliaret, adhibitus eſt: horum uſu ad duas vel tres ſeptimanas perſtitit ægrotus, unde miteſcebat tuſſis, vireſque paulatim inſtaurabantur; tumores verò nil quicquam ex duritie remiſerunt. Quare fontanellam in brachio excitandam, atque aliquot guttas *Balſami Polychreſti* è cochleari ſyrupi cariophyllorum horâ decubitûs ſumendas præcepi; quæ quidem intra exiguum temporis ſpatium ſupra ſpem reſpondebant: is enim, qui ancillæ brachiis priùs ad lectum portari ſolebat, jam ſolus ſine ullo adminiculo, tumoribus ſenſim minuentibus, gradus potuit aſcendere, hodieque abſque alia medicina integra utitur valetudine. Hoc ſanè balſamo pleriſque in caſibus vix aliud utilius excogitari poteſt remedium: Gummi quidem guaiaci, ex quo conficitur balſamum polychreſtum, Recentioribus ita parum innotuit, ut *Fredericus Hoffmannus*, qui

in

in annotationibus ſuis in Pharmacopœam Schrodærianam virtutes ligni guaiaci in curatione luis venereæ pleno ore laudat, gummi raro adhiberi ſcribit; & quod magis mirandum recentioris Pharmacopœæ editor *Johannes Quincey*, qui in virtutibus medicamentorum explicandis plerumque ſatis copioſus eſt, gummi hujus non niſi perfunctoriè nimis mentionem facit; id autem ab eo forſitan conſultò fit, quippe quod vires ejus in morborum curatione alibi ſatis [a] explicat: & ſine dubio quiſquis hanc medicinam ad dolores arthriticos, rheumaticos, iſchiadicos, quacunque demum corporis parte fuerint fixi, cum judicio adhibet, ægroti ſpem rarò decipiet.

[a] *Vid. Pharmacop. Quintian. Balſam. Polychreſt.*

Hiſtoria

Hiſtoria Quarta.

SEcundo die Julii anno 1728. filiam reverendi admodum viri *Samuelis Breary* S. T. P. & eccleſiæ ſancti Petri Eboracenſis canonici, octodecim annorum virginem, febris, cum ingenti capitis dolore, æſtu, & ſiti, corripuit: tertio veſperi cùm primùm acceſſi, ſanguinem detrahi, & veſicatorium nuchæ admoveri juſſi; pulveres etiam cardiacos mitiores, cum julapio, qui ferventes ſuccos temperarent, ſumendos præſcripſi.

Quarto, omnia ferè eadem; niſi quòd ſanguinis miſſione paululum fuerit lenitus capitis dolor, veſicatorium enim parum profecerat.

Quinto, ab aſtantibus intellexi fluentem alvum ægrotam exercuiſſe; idque à medicina quam adhibueram exoriri judicantibus reſponſum eſt,

eos, quos ſumebat pulveres, ventrem ſolutum reprimere poſſe, compreſſum verò nequaquam ſolvere. Huic tamen malo ut melius occurreretur, mixtura aſtringens & decoctum album pro potu communi imperata eſt, unde alvi profluvium aliquantulum eſt cohibitum, quod tamen nihilominus poſt aliquot horas rediit. Cùm verò haud multo poſt pharmacopolæ de cubantis valetudine à me quærenti dixiſſem, me ex hac frequenti dejectione alvi nil boni expectare, reſpondebat is, rhabarbarum, quod adhibendum præſcripſeram, poſſe forſitan alvum ducere; qua re haud leviter commotus, cùm nullum omnino præcepiſſem, utpote quod à curandi ſcopo maximè eſſet alienum, præſcriptum à filo deſumptum inſpicere volui, in quo ne granum quidem rhabarbari, nec cujuſvis alius rei quæ purgaret, eſt imperatum; ſexies tamen aut amplius purgantia hauſerat ægrota priuſquam egregium hunc errorem

rorem detexeram. Hujuſmodi autem lapſus, ſi in homine quovis, in ſeptuagenario forſitan eſt condonandus.

Hinc igitur vires decumbentis vehementer fractæ, & urina, quæ hactenus largiter depoſuerat, jam pallidior facta, nil quicquam demiſit; alvus quidem reſtringentibus coactior, haud penitus tamen ſuppreſſa.

Sexto, febris, multa cum corporis jactatione, acuebatur; ſomnus brevis & interruptus; pulſus velox & incitatus: quare veſicantia carpis erant admota.

Septimo, febris vehementer excanduit, invaſitque delirium; aliqua etiam ſpirandi fuit moleſtia. Cùm verò tenuiore paulo habitu fuerit ægra, dejectioneſque ſub morbi initio vires plurimùm debilitâſſent, ſanguinem iterum hoc morbi tempore vix tutò detrahendum judicavi; quare cardiacis moderatis uti perſtitit, & aliquando guttas aliquot ſpiritûs cor-

nu cervi ad reficiendas vires ſumſit; veſicantia etiam cruribus adhibita.

Octavo, idem ferè ut pridie rerum ſtatus. Multùm deliravit; in urina nihil depoſitum: veſicantia tamen optimè reſponderant.

Nono, cùm adhuc in deterius itum eſſet, &, ex pallido urinarum colore, ſuberat metus ne ſubſultus tendinum ægrotantem invaderet, bolis cardiacis caſtoreum adjeci, & veſperi applicata ſubter axillas veſicatoria.

Decimo, nulla vel ſymptomatum vel medicamentorum mutatio: veſicantia verò ſuas partes bene egerant.

Undecimo, venter exolutus novas moleſtias creavit; quare quæ vires refocillarent, fluentemque alvum cohiberent, adhibita.

Duodecimo, omnia in pejus ruebant, pulſus omnino ferè nullus; partes extremæ frigidiores: febris tamen adhuc, cum mentis alienatione maxima, inhæſit; ita ut plurimùm dubitandum num huic diei eſſet ſu-

perſutura.

perſutura. In hoc igitur rerum ſtatu, tantum non deplorato, quoniam veſicantia hactenus optatiſſimè reſpondiſſent, altera duo femoribus internis aptabantur, & columbæ per medias diſſectæ plantis pedum applicabantur; bolum etiam ex lapide contrayervæ, ſale volatili, cornu cervi, & caſtoreo confectum, exhibui. Hinc,

Decimo tertio, melior rerum facies, pulſus invaluit, febris paululum eſt tenuata; mentis tamen error haud quicquam remiſit, licèt veſicantia, in quibus omnem ferè ſalutis ſpem poſueram, humores copioſè ſatis elicuiſſent: quare hodie, & ſequenti biduo, eadem ſumſit remedia.

Decimo ſexto, cùm jam res in melius cederet, inclinatâ quidem febre, ſed adhuc tamen inhærente, eadem remedia, utì priùs, erant adhibita; niſi quòd à bolo ſalem volatilem cornu cervi detraxerim.

Decimo

Decimo ſeptimo, & decimo octavo, idem ferè rerum omnium tenor; continua enim febris habet tempora, quibus etſi non remittit, non tamen creſcit: quare eâdem adhuc uſa eſt medicinâ.

Decimo nono, manè alvus quinquies intra bihorium ſponte deſcendit; virium inde contrahitur imbecillitas: quare quæ & ventris fluorem cohiberent, vireſque reficerent, imperata. Quoniam verò neque adhuc quicquam remiſerat delirium, veſicatoria utrique lateri cervicis adhibita, & veſperi hauſtum cum diacodio ſumſit, unde quies aliquantulum pacatior. Sunt quibus in hoc caſu hanc medicinam ſerò nimis adhibere videar. Hîc verò *Sydenhamum*, qui in omnibus naturam diligentiſſimè ſecutus eſt, ducem habui; qui & fideli atque idoneo obſervationum plurimarum complexu rem ipſam certiſſimam eſſe pronuntiat, *Laudanum*, vel alia quævis narcotica in principio, aug-

augmento, vel ſtatu hujus febris ad ſymptoma hoc levandum, vel non prodeſſe omnino, vel, quod ſæpe accidit, etiam obeſſe: verùm in morbi declinatione opiata in mediocri doſi adhibita non ſine ſucceſſu uſurpari.

Viceſimo, cùm febris plurimùm tenuaretur, nondum tamen ex toto conquieſceret, medicinam paulo calidiorem præcepi, tum ut vires refocillarem, tum & morbi reliquias penitus extinguerem.

Viceſimo primo, pridie præſcriptis perſtitit.

Viceſimo ſecundo, à febre penitus liberata convaluit; morbi tamen impetus in cerebrum adeò ſævierat, ut mentis impotentia, quod haud vulgare eſt, per aliquot dies remanſerit, poſtquam febris integrum corpus dimiſerat: brevi verò, lactis aſinini uſu, mens ſana in corpore ſano rediit.

Liceat jam paululum hac in hiſtoria quædam animadverſione digna notare.

notare. Poſt tres primos igitur morbi dies urina nihil unquam depoſuit, ſed in pallidum colorem eſt mutata; quod apud authores mali eſſe ominis, & vel delirium, vel nervorum diſtentiones, vel utrumque portendere perhibetur: quare ut his ſymptomatis commodiùs occurrerem, caſtoreum cum cardiacis moderatis temporiùs exhibui; etenim in hoc caſu medici eſt venienti occurrere morbo: quiſquis enim remedium haud priùs adhibet quàm ægrotum invaſerit malum, is à medicamento, pluſquam debet, exigere videtur, & rariſſimè curandi ſcopum attingit; id enim omnibus, in praxi licèt mediocriter verſatis, innoteſcit, laudanum mediocri doſi datum, ſi duas vel tres horas ante decubitum ſumatur, & meliùs & faciliùs ſomnum conciliare, quàm ejuſdem duplicem portionem ſeriùs adhibitam. Par igitur omnino videtur eſſe ratio in cujuſvis alius remedii exhibitione, quoties graviori

 alicui

alicui ſymptomati occurrendum eſt; neque medentis ſolertia in re ulla magis quàm in prudenti hac atque opportuna medicamentorum applicatione clariùs eluceſcit; & ſi, quod verum eſt, fateri volumus, id ferè unicum Medicum experientiſſimum ab Empirico, Artificem ab Inſcio diſtinguit; hic enim ſemper, ille nunquam, ſatis cum judicio medicinam adhibet.

Porro ſudores per totum morbi decurſum liberè parum promanârunt, neque unquam per omnia membra ſimul diffuſi ſunt; ab ulcuſculis autem in cute à veſicantibus excitatis humores per plures dies ita ubertim effluxerunt, ut aſtantibus timorem injicerent, ne cubantis vim vitalem conſumerent: natura enim, hac præcipuè viâ criſin moliens, atrociſſimam hanc febrem ad exitum tandem perduxit.

Hiſtoria Quinta.

DOminus *Gwyn*, vir ſexagenarius, in Aſcitem incidit; venter, totumque abdomen, in magnam molem excreverat; crura pedeſque foveas tardiùs rurſus impletas habuerunt; impreſſi digiti veſtigia; vehemens aderat ſitis, urina perpauca; carnes muſculoſæ plurimùm abſumptæ, ut non minùs tabidus ſimul ac hydropicus videretur. Medicamentis hydragogis, eiſque ſæpius repetitis, aliorum conſilio uſus fuerat; unde virium robur plurimùm, ventris autem tumor parum aut nihil minuebatur: ne itaque effuſiore inanitione vires offenderem, per purgantia mitiora paulatim aquas educere conabar; quare vinum hydropicum, Pharmacopœâ Bateanâ deſcriptum, dedi, eâ menſurâ eoque intervallo, quæ utrique indicationi, &

virium

virium ſuſtentationi & aquarum evacuationi, maximè ſatisfacere viſa eſt. Hujus autem uſu haud multùm diu perſtitit; quod licèt & per urinas & per alvum humores commodè ſatis educeret, nihilominus parum detumuit venter: quare *paracenteſeos* adminiſtrationem propoſui; cui æger, cùm ei perſuaſiſſimum eſſet rem extra omnem purgantium medicamentorum opem poſitam eſſe, libenter aſſenſit. Ineunte igitur Maio, anno 1730. puncto abdomine inſtrumento chirurgico huic operationi deſtinato, *Troisquart* vulgo dicto, viginti duæ libræ, uti memini, ſeroſi humoris ſunt emiſſæ, ex quo tempore ſexies intra totidem menſes è ventre eductæ ſunt aquæ. Objiciet jam forſan aliquis huic medendi methodo, utpote quæ miſeram protrahit vitam: is autem, quiſquis eſt, ſecum reputet quanti ſæpenumero ſit momenti per paucos ſolummodo dies, multo magis menſes, alicui vitam produ-

cere; neque ea sanè contemnenda est ars, quæ homini moribundo anteactam vitam recolendi longiùs exhibet spatium.

Nihil profectò singulare in se hæc habet historia, quod in nosocomiis non sæpius occurrit: sed hîc loci non omittendum duxi; ideo quòd frequentiorem antiquæ hujus medicinæ usum commendandi mihi ansam dederit; neque sanè in hoc morbo, quoties à vasis lymphaticis lacteisve disruptis oritur, ulla alia ægrum sublevandi est via; quamobrem nequeo non mirari eam, superiore sæculo, ita penitus fuisse neglectam, ut *Willisius* noster dicat ἐγχείρησιν hanc, utpote periculosam, Medicos raro præscribere; his verò sæpissimè inconsultis, Agyrtas ac Empiricos eam temere ac infaustè aggredi. Cùm tamen liquet Veteres plerosque omnes hanc abdominis perforationem sæpius, nec infeliciter, exercuisse; Celsusque præcipuè, libro septimo, quomodo aqua hydro-

hydropicis emittatur latiùs explicuit. Ea tamen noſtris hominibus debetur laus, quòd ab iis hæc Antiquorum praxis multùm provehatur; veteres enim Medici, aquam in hydropicis paulatim emittendo, plures conterebant dies, idque eo conſilio ne ægrotum, ſi ſemel & ſimul educeretur univerſa, invaderet ſyncope: hodie verò omnis aquarum illuvies unicâ vice abdomine tutò exhauritur, reſque ita geritur, ventrem in operatione manibus comprimendo, poſteaque partes, inductâ faſciâ, conſtringendo donec tonum recuperaverint, ut jam rariuſculè deliquium animi patiantur ægri.

Sed, ut ad ægroti hiſtoriam revertar; poſterioribus diebus ſitis eum multo minùs afflixit, & copioſiùs aliquantulum minxit; ita ut aquæ, quæ priùs quadrageſimâ quaque die, aut citius, fuerant emiſſæ, poſtremis quinque menſibus bis ſolummodo educerentur: tandem humores mor-

bifici

bifici ſibi viam in ventriculum aperuerunt, ita ut viginti quatuor horarum ſpatio, quantum conjecturâ asſequi potuerim, totidem aquæ libras vomitione rejiceret, & quod animadverſione dignum, profuſior hæc inanitio, cùm minùs deberet expectari; prægreſsâ enim ſeptimanâ *paracenteſin* ſubierat ægrotus. Quantacunque igitur lympharum moles ſit, quæ ex aqualiculo perforato extrahitur, dehinc tamen mihi conſtare videtur haud exiguam earundem portionem intus adhuc eſſe relictam, quâ viſcera, magis magiſque indies corrupta, vitium tandem inemendabile contrahunt; ægrotanti enim huic vires ſatis erant validæ, donec in vomitionem incideret, unde ſupremum obiit diem; abdominis perforationem octies intra anni ſpatium, multo cum ſui levamine, paſſus.

Hiſtoria Sexta.

DIE viceſimo tertio Octobris, anno 1729. rogatu Domini *Whitley*, qui cohorti tunc temporis Eboraci hybernanti præfuit, militem Febre decumbentem inviſi. Sub initio morbi Dominus *Bruce* chirurgus turmæ ſtipendiarius, qui valetudinis curam habuit, leni vomitione & veſicatorio nuchæ admoto ægrotum levare moliebatur: ego nono demum morbi die acceſſi, cùm eum pulſu debili, ſingultu, tendinum ſubſultu, linguâ nigrâ & aridâ laborantem inveni; urinæ erant tenues, nec quicquam per totum morbi decurſum depoſuerant; lecti fimbrias diduxit, floccoſque vellicabat, nihil omnino intellexit: quare cùm mors jam in præcipiti eſſe videretur, veſicatoria quatuor brachiis internis & ſupra pulſus ſtatim admovenda, & medicinam

ex

ex lapide contrayervæ, castoreo, & croco confectam, sumendam præcepi; & ut sanguinis æstum aquâ hordei & sero lactis canarino, affatim sumptis, temperaret, in mandatis dedi.

Vicesimo quarto mane, ad mentem rediit; sed intra paucas horas rursus desipuit: quare cùm jam vesicatoria optatissimè respondissent, altera duo cruribus internis adhibui, & aliquot guttas spiritûs cornu cervi per se temporibus intermediis exhiberi jussi; sub noctem sudor copiosus per omnia membra incœpit emergere, ad se rediit, placidèque noctem peregit. Hoc, & sequenti biduo, præscriptis perstitit.

Vicesimo quinto, meliusculè se habuit; plurimùm deferbuit febris, pulsusque magis ad normam est compositus: vesperi tamen febris denuo exarsit; nox insomnis, multa cum corporis jactatione; aliquando & intra verba desipuit.

Vice-

Vicesimo sexto mane, alvum multo cum levamine deposuit, inclinatâ quidem febre, sed adhuc tamen inhærente: noctu quies satis commoda, ita ut,

Vicesimo septimo, in melius mutata fuerint omnia; febris mirum in modum tenuata, pulsus & ictu valentior & intervallis distinctior, lingua humida, sitis ferè nulla; in urina verò neque adhuc quidem aliquid omnino subsedit: medicamenta eadem, sed rarius aliquantulum adhibita.

Vicesimo octavo noctu, somni breves atque perturbati, aliquando & intercessit delirium; manè pulsus magis ad temperiem compositus, sed neque adhuc in urina aliquid coctum apparuit, neque febris integrum corpus dimisit.

Vicesimo nono vesperi, paululum incaluit, is autem corporis fervor intra horulam discessit; nox satis quieta, febrisque manè ex toto conquievit:

evit: ita quinto ſupra decimum morbi die ad ſanitatem tandem pervenit.

Hiſtoria Septima.

AUtumno 1730, Eboraci epidemicè graſſari cœperunt Variolæ, quæ ad medium hyemis durabant: quo tempore, rigidiſſimo gelu cum multa nive ſuperveniente, prorſus delituerunt, aut ſaltem rariuſculè comparuerunt; vere autem ineunte, denuo recrudeſcebant, interque alios quamplurimos dominam *Palliſter*, tredecim annorum virginem, corripuerunt: Huic quidem confertim eruperant variolæ, non in facie modò, ſed & toto etiam corpore; pauciſſimis tamen in locis coaleſcebant. Summâ diligentiâ ægrotam curavit *Gulielmus Dobſon* pharmacopola; qui, quoniam multa ſub initio de capite, dorſo, & ventriculo queſta eſt, lene emeticum exhibuit.

Ego,

Ego, ſexto eruptionis die veſperi acceritus, mente alienatam inveni, & quod hoc morbi tempore in delirantibus haud vulgare eſt, febre vacantem. Puſtulæ, quæ licèt erant confertiſſimæ, non omnino tamen elevatæ, earumque interſtitia ubique pallida; admotum itaque nuchæ veſicatorium; noctem ferè inſomnem peregit.

Septimo manè, omnia eadem; veſicatorium quippe parum profecerat. In hoc igitur rerum ſtatu ſic præſcripſi:

℞ *Lap. Contrayerv. Theriac. Androm. ana* ℈ß. *Pulv. Croc. Anglican. gr. iiij. Syrup. Cariophyllor. q. ſ. m. f. Bolus, ſextâ quaque horâ ſumend. cum Julap. perlat. ad tres vices.*

Horâ ſomni ſumpſit hauſtum ſequentem:

℞ *Aq. Ceraſ. nig.* ℥vj. *Syrup. è ſucco Limon.* ℥ij. *Laud. liquid. gutt. viij. m. f. Hauſtus.*

 Octavo,

Octavo, facies manusque tumidiores, pustulæ elevatiores & ubique pure intumescentes, pulsus & ictu valentior & intervallis distinctior; ita ut omnia jam præter spem bene cedere viderentur.

Controversum quidem esse video apud superioris sæculi scriptores, calidumne regimen, an frigidum, variolarum curationi meliùs adhibeatur. Inter prioris opinionis fautores fuit *Richardus Mortonus:* inter posterioris *Thomas Sydenhamus*; uterque sui temporis Medicus exercitatissimus, uterque celeberrimus: uter verò duorum hac in re rectiùs sentiret, ex eorum scriptis facilè est dijudicare; quicunque enim morbus inflammatione urgetur, uti illius est, de quo jam agitur, natura, siquis eum alexipharmicis, cardiacis generosioribus, cæterisque id genus medicamentis curare satagit, is idem facit ac si flammam oleo paret extinguere: è contra verò haud ita penitus contra hunc

2 mor-

morbum frigidis materiis niti debemus, quaſi nunquam omnino fervidioribus eſſet utendum; eſt enim ubi alexipharmaca in hoc morbo mira præſtant, viz. cùm propter pulſûs debilitatem, diminutum ſanguinis fervorem, pallidior fit cutis, puſtulæque lentè admodum aut difficulter erumpunt. In hoc rei ſtatu antiquiſſimus de variolis ſcriptor *Razes*, alexipharmacorum uſum laudat;[a] ſi namque, inquit, peſtilentiæ, id eſt, variolarum cauſam tardiùs in extimam cutem excerni videris, voleſque tali vitio ea, quæ nimium calorem reſtinguunt, admovere, reſiſtere naturæ & actionem ipſius impedire ſpectaberis.

Sed redeundum nobis ad ægrotæ hiſtoriam eſt.

Nono, & decimo, ſputatio libera & copioſa; quare magnæ potiones ſunt imperatæ: & quo meliùs virium ſuſtentationi ſub effuſa hac evacua-

[a] *Razes de peſtilentia*, cap. 7.

tione

tione profpiceretur, julapium ex cardiacis mitioribus debitis intervallis eft exhibitum.

Undecimo, multa de ardore oris & gutturis querela; itaque gargarifmate refrigerante ufa eft, & guttæ aliquot laudani hauftui nocturno funt additæ: puftulæ tamen parte faciei infimâ exaruerunt.

Duodecimo & fequenti biduo, nulla rerum mutatio; nifi quòd puftulæ, maturitatem adeptæ fuam, ubique ficceffere cœperunt.

Decimo octavo, potio, quæ leniter purgavit, adhibita, intraque triduum ad duas alias vices iterata integram fanitatem reftituit. Hac in hiftoria obfervatione dignum, ea ipfa fymptomata, quæ, fi diutius paulo effent immorata, ægrotam in fummum vitæ difcrimen adduxiffent, per calidiorem paulo medicinam opportunè adhibitam, ita penitus fuiffe debellata, ut pofterioribus diebus nihil amplius inci-

incideret, quod vel medenti molestiam, vel ægrotanti periculum crearet.

Historia Octava.

Mense Junii, 1731. Dominus *Bradley*, pharmacopola, me de virgine quadam consuluit, quæ, immodicam colocynthidis quantitatem cerevisiâ infusam sumendo, sanguinem tum per alvum tum per vaginam cum dolore & torminibus ita crebrò & copiosè effudit, ut nulla penè vitæ superesset spes; clysterem itaque astringentem, qui vasorum oscula occludendo ulteriorem cruoris & humorum in ductus intestinales profusionem sisteret, adhibui: formula verò fuit hujusmodi.

℞ *Flor. Ros. rubr. Balaust. ana ℥ß. Cortic. Granator. Cor. Cer. calcinat. ana ℥j. Coq. s. q. aq. font. ad ℥xij. Colaturæ adde Bol. Armen. Theriac. Androm.*

Androm. ana ℨij. m. & injiciantur ℥iv. pro enemate, & repetantur pro re nata.

Inteſtinorum etiam ſpaſmos cum emulſione Arabica, cui unciæ duæ ſyrupi de meconio adjiciebantur, ſedavi; neque alia eſt medicina, quantùm mihi videtur, qua colocynthidis aſperitas meliùs corrigi poteſt: gummi enim Arabicum ſalium catharticorum ſpiculas ita obtundit, ut nullam ampliùs vim inteſtina vel incidendi vel corradendi poſſint exercere; præterea, vulnera jam inflicta, emplaſtri more, tegit ſimul & conglutinat. Tales ſaltem in hoc caſu gummi illud habuit effectus: ægra enim ſimplici hac curandi methodo brevi convaluit.

Hiſtoria

Historia Nona.

RArior est affectus quem famulo honorabilis viri *Thomæ Scawen* intulit Diarrhœa: illum quidem ventris fluor ita exercuit, ut quadragies intra quatuor horas desideret; hinc crura manusque corripuerunt spasmi intolerabiles, ter quaterve horâ redeuntes, qui decumbentis vires adeò debilitârant, ut eum tanquam morientem conservi relinquerent. Ægrotantem igitur, cùm tenuioris esset corporis habitus, qui ægre ullam, multo minùs effusiorem, patitur inanitionem, medicamentis, quæ contractiones prævenirent, fluentemque alvum comprimerent, sublevare fategi; bolum itaque sequentem, ex julapio restringente, sumpsit, & vesperi repetiit:

℞ *Spec. Confec. Fracastor. Pulv. è ch. Cancr. comp. ana gr. x. Castor. Russens.*

ſenſ. gr. iiij. Syrup. Cariophyllor. q. ſ. m. f. Bolus.

Pro potu, decocto albo cui parum aquæ cinnamomi tenuis adjiciebatur; pro victu, pulli juſculo in quo raſura cornu cervi coquebatur, libere uſus eſt: ita nullo penè labore morbum, qui aſtantibus terrorem, ægroto mortis periculum injecerat, paucis horis ſuſtuli. Neque ſane aliquid eſt, quod tyronum animis magis inculcari debet, quàm ut medicina quàm maximè ſimplice utantur; compoſitior enim præſcribendi formula empiricorum eſt refugium, qui nec morbi rationem nec certam aliquam medendi methodum ſatis exploratam habentes, omnem ferè materiam medicam percurrunt, haud ignari ſcilicet pluribus eſſe aggrediendum viis, ne una fortè minùs ſuccedat: prudens autem medicinæ facilè deſpiciet quæ vera ſit morbi indicatio, & qualis potiſſimùm adhiberi debeat medendi ratio.

Hiſtoria Decima.

UXor Domini *Clark*, triginta annos nata, in paroxyſmum nephriticum incidit; cui ſub initio, ne à dolore, qui tum fuit acerbiſſimus, inflammatio ſuboriretur, ſanguinem mitti, & enema terebinthinatum, quod alvi fæces educeret & urinas eliceret, injici curavi. Rejecto enemate, ſequentem potionem ſumendam præcepi;

℞ *Elix. Salut.* ℥ijß. *Syrup. de Spina Cervina* ℥ß. *m. f. Potio.*

Hac autem per vomitum ſtatim rejectâ, ut ventriculi commotionem & doloris impetum aliquantulum compeſcerem, grana ſeptem pillulæ Matthæi ſunt adhibita, intraque quatuor horas, dolore adhuc permanente, repetita.

Ex variis quidem laudani compositionibus hæc mihi unica videtur, quæ in hujusmodi affectibus plurimùm poteſt prodeſſe; cæteræ enim omnes doloris ſenſum ſolummodo pro tempore leniunt; hæc autem, cùm magnam ſaponis tartarei in ſe portionem habeat, urinas movet, ejuſque itinera lubricat, quæ res in hoc morbo maximè indicantur.

Hæc igitur pillula bis deglutita tum dolorem tum vomitionem ſuſtulit: quare ut lapidis expulſionem, qui jam per duos dies ureteri fixiùs inſederat, ulteriùs promoverem, ita præſcripſi:

℞ *Mercur. dulc. Pilul. Coch. min. Extract. rud. ana* ℈ß. *Ol. Aniſ. gutt. iij. Syrup. de Spin. Cervin. q. ſ. m. f. Pillul. ſtatim ſumend.*

Hinc tamen ne ſemel quidem ſolutus eſt venter. Urinæ parum & difficulter ab initio reddidit ægrota; quare cùm veſperi vehementer rediit dolor, bal-

balneum aquæ tepidæ ingressa est, & sequentem haustum sumpsit:

> ℞ *Ol. Amygdal. dulc.* ℥ij. *Syrup. è succo Limon.* ℥ß. *Syrup. de Althæa* ʒiij. *m. f. Haustus.*

Hinc plurimùm remisit dolor, & quinquies largiter fusa est alvus; ita ut pillulæ purgantes, quæ priùs non omnino responderant, jam fibris cuticularibus laxatis & visceribus emollitis, officium suum optimè præstiterint.

Jam per aliquot horas satis commoda quietis intervalla habuit ægrota; vesperi tamen, cùm recrudesceret dolor, sese in aquam calidam rursus demisit, quæ doloris vehementiam sopivit: quoniam verò calculus jam per quatuor dies integros ureteri esset immoratus, si quid auxilii in gravissimo hoc casu possem afferre ab aliqua medicina quæ urinas potentiùs cieret, experiri decrevi; sic itaque præscripsi:

℞ *Tinctur. Cantharid.* ℥ß. *Cap. gutt. xx. ter in die ex haustu Apozematis sequentis.*

℞ *Decoct. pro Syrup. de Althæa* ℔jß. *Vin. alb. Lisbonens. Syrup. è succo Limon. ana* ℥iij. *m. f. Apozema diureticum.*

His itaque guttulis bis sumptis, tum lotium tum menses copiosè profluxerunt, & unà cum his lapis, qui tamdiu urinæ itineri inhæserat, sensim in vesicam delapsus est: ita quinto demum die ex toto conquievit dolor.

Non dubito fore plerosque, qui hanc medicinam temere nimis & nullo penè consilio adhibitam esse existiment; sed cùm cætera omnia parum adhuc juvissent, magnumque periculum esset ne lethalis inflammatio suboriretur, dum decumbentis vires satis essent validæ, remedium paulo asperius, & ex quo nonnihil incommodi nasci posset, tentare malui, quàm morbo confici ægrotam pati.

[a] Poculum hydropi Hippocraticum ex cantharidibus confectum omnibus innotescit: hac tamen cautione illud præcipit divinus ille medicæ artis magister; nempe ut jejunus bibat æger, & panes calidos ex oleo vel pinguedine edat.

[b] Galeni scriptis de usu interno cantharidum multa passim leguntur, quas ad urinas movendas, si aptè fuerint mixtæ, plurimùm commendat; & mirandum sanè est tum præsenti tum superiori sæculo hanc medicinam medentium præscriptis ita rarò inveniri, cùm plerisque in casibus vix alia sit efficacior: id verò sæpius accidere solet, quòd optima medicamenta Empiricorum ignorantiâ perperam adhibita, experientissimorum Medicorum commendatione ac judicio in praxin ægriùs adducantur.

[a] *Hip. de Victûs Ratione, lib.* 3. *f.* 1. 14. C. 13.

[b] *De simp. Med. Facul. lib.* 3. *c.* 23.

Historia

Hiſtoria Undecima.

FIlia Domini *Làngdale de Cliff*, perantiquæ familiæ in agro Eboracenſi viri, decimum ætatis annum agens Variolarum ſigna perſenſit: illa quidem per biduum de dolore capitis & dorſi, aliquando etiam & nauſeâ, vehementer queſta eſt. Sub initio morbi vomitorium adhibuit pharmacopola, quod ventriculi ægritudinem levavit: Decimo quinto Januarii die, qui morbi erat tertius, juſſi ut, inciſâ venâ, ad decem uncias traheretur ſanguis. Veſperi puſtulæ aliquot circum tempora apparuerunt, quæ deinde faciem, pectus, & artus, undique occupabant, ubique coaleſcentes, & aliquibus in locis confluentes.

Illo & ſequenti die cardiaca mitiora ſumpſit.

Decimo ſeptimo, cùm vigiliæ urgerent, puſtulæque parum eminerent, nuchæ veſicatorium appoſui, & ſequenti uſa eſt julapio;

R. Aq. Lact. Alexiter. Ceraſ. nig. Cinnamom. ten. ana ℥iij. Aq. Epidem. Pæon. comp. ana ʒvj. Syrup. de Mecon. ℥j. Pulv. Gaſcon. Lap. Contrayerv. ana ℈ij. m. f. Julapium cujus capiat cochlearia iiij ſextâ quaque horâ.

Singulis etiam noctibus hauſtum ſomniferum ſumebat, qui fuit hujuſmodi;

℞ *Aq. Ceraſ. nig. ℥j. Diacod. ʒij. Laud. liquid. gutt. vj. Tinctur. Croc. ʒj. m. f. Hauſtus.*

Hinc,

Decimo octavo, puſtulæ in facie elevatiores, & aliquæ, perbreves licèt, ſomni induciæ.

Decimo nono, quæ ſputa viſcidiora tenuarent, & copioſiùs elicerent, adhibita, & utriſque brachiis admota

H veſica-

veſicatoria; puſtulæ quippe in trunco corporis & artubus depreſſiores, & periculum erat ne varioloſa materia in ſanguine deliteſcens acutiſſimam febrem accenderet, ni arte citiùs excuteretur: quare viceſimo, medicinam paulo calidiorem, ex contrayerva, theriaca Andromachi, & croco confectam, cum julapio, præcepi.

Viceſimo primo, pridie præſcriptis perſtitit: hinc,

Puſtulæ in corpore atque cruribus ubique ſeſe extulerunt, &, pro more morbi, progreſſæ pure probè cocto turgeſcebant; ita ut per triduum nihil niſi linctu (quippe de gutture querebatur) hauſtuque ſomnifero, adauctâ paululum laudani doſe, uteretur.

Viceſimo quinto, cùm à morbi invaſione ſemel ſolummodo alvum depoſuerat, enematis ope ſolutus eſt venter, unde duæ, multo cum levamine, inſecutæ ſunt dejectiones: poſtea, purgantibus

gantibus adhibitis & per debita intervalla iteratis, ægrota ad integram valetudinem pervenit.

Haud ita tamen fœliciter cessit res cum domino *Hodgson de Pickering*, octodecim annorum adolescentulo: illum quidem vulgaria Variolarum symptomata corripuerunt; præ cæteris autem dolor dorsi fuit vehementissimus. Tertio ab invasione morbi die ingenti multitudine eruperunt variolæ; pridie invaserat delirium, quod non nisi post triduum remisit: ego sexto ad eum accersitus die, inveni pustulas, non in facie tantùm, sed collo, pectore, & corpore universo, confertissimas; cutis erat admodum inflammata, qui quidem rubor ab authoribus malas inter notas haud perperam ponitur. Quæ sanguinem diluerent, simul & temperarent, unà cum cardiacis mitioribus ad sustentandas vires imperata: sputatio cæteraque ad undecimum diem, si *Sydenhami* computum sequamur, bene pro-

cesserunt, nisi quòd pedum pustulæ haud satis se attollerent. Eo die molestè admodum se habere cœpit, insomnis & inquietus, nonnunquam & aliena locutus est: quare nuchæ appositum est vesicatorium, haustusque somniferus, quem priùs sumpserat, temporiùs est adhibitus, aliquantulum etiam & adauctus; quies tamen omnino nulla neque somnus insecutus est.

Duodecimo, pulsus fuit æqualis, sed debilis; sputa satis adhuc copiosa; ad somnum verò tanta erat proclivitas, ut comate tentari videretur; quæ quidem dormiendi necessitas intelligentium omnium judicio pessimè præsagire putatur; itaque utrisque brachiis vesicantia, & bolus alexipharmacus cum julapio sunt adhibita: nox tamen inquieta; aliquando etiam & intra verba desipuit: vesicantia manè optimè responderant.

Decimo tertio, insomnis adhuc & delirus perstitit: ex opiatis utilitas omnino nulla. Præceptum est enema;

verùm

verùm dum conficiebatur, alvus bis ſponte ſuâ deſcendit: inde tamen ne minimum quidem cerebri levamen.

Decimo quarto, omnia in pejus ruebant. In his igitur deſperatis ægroti rebus periclitari volui, ſi quid auxilii à ſanguinis miſſione vel per cucurbitulas, vel per venæ jugularis ſectionem, afferri potuiſſet: defuerunt autem in eo oppido cucurbitulæ, venæque jugulares ita aciem fugerunt, ut eas pertundere haud auderet pharmacopola. Sed in hujuſmodi caſibus vix ulla medicina periculo ſubtrahit: quare cùm nulla vitæ ſpes eſſet relicta, mihique maximè foret incommodum diutius rure morari, eo ipſo die diſceſſi, & poſtridie noviſſimum vitæ diem clauſit ægrotus.

Haud leve ſine dubio fuit infortunium venam non ſtatim ab initio aperiri; præſertim cùm ægrotus ætate floreret, & ſanguine abundaret: veri enim ſimillimum eſſe videtur delirium, ardorem, vigilias, inquietudines,

nes, cæteraque ſymptomata declinatione morbi naſcentia, ab hac cauſa ortum duxiſſe. Ita enim res eſt, in variolis confluentibus plures in facie ſunt puſtulæ, quàm in alia quavis corporis parte ejuſdem magnitudinis: hæ itaque puſtulæ intumeſcentes, & cutem diſtendentes, vaſa ita comprimunt, ut curſus ſanguinis in exteriore capitis parte impeditior fit; neceſſe eſt igitur ut verſus cerebrum fluat: utræque enim arteriæ, tum quæ ad extimam, tum quæ ad intimam capitis partem ducunt, ex trunco *carotidis* naſcuntur; quare ſanguinis introitu in vaſcula, quæ ubique per faciem diſperguntur, præcluſo, majore impetu ruit in cerebrum cruor, & obſtructiones facit: Exemplis rem illuſtrabo. In paroxyſmo nephritico,[a] altero rene obturato, in *arteriam emulgentem* alterius ſæpiſſimè fluit ſanguis,

[a] *Vid. Riverii Obſervationes, Hiſtoria prima.*

guis,

guis, & urinæ ſuppreſſionem infert: pari ratione in *capitis eryſipelate delirium*, *coma*, *nervorum diſtenſiones* frequenter oboriuntur, quæ non niſi per profuſam ſanguinis miſſionem, & purgantia medicamenta, poſſunt tolli. Hinc etiam facilè explicare licet, quamobrem variolæ in facie confluentes, at in cæteris corporis partibus diſtinctæ, periculoſiores ſint quàm cùm in vultu minùs coeunt, ſed in aliis locis uſquequaque confluunt: ex hoc denique venarum & arteriarum, tum intra tum extra cerebrum, commercio fit, ut variolæ, per quas facies ſubitò in ingentem molem attollitur, infœlices plerumque habeant exitus.

FINIS.

BOOKS printed for *JOHN CLARKE* under the *Royal-Exchange, Cornhill.*

1. RUfi Ephefii, de Veficæ Renumque Morbis.
—— de purgantibus Medicamentis.
—— de Partibus Corporis Humani.
Nunc iterum Typis mandavit Gulielmus Clinch M. D. qui & Differtationem de Auctore ejufque Scriptis, unà cum Commentariolo de ufu idoneo Veficantium in Morbis curandis, adjecit. [illegible]

2. G. Clinch de tuenda Valetudine Liber. 8vo.

3. Dr. Turner's Art of Surgery, 2 vols. 4th Edit. 8vo.

4. —— Difcourfe concerning Fevers, 2d Edit. 8vo.

5. ——Syphilis, a Differtation on the Venereal Difeafe, 4th Edit. 8vo.

6. —— Treatife of the Difeafes of the Skin, 4th Edit. 8vo.

7. — Difcourfe concerning Gleets, their Caufe and Cure. 8vo.

8. — Of the Mother's Imagination upon the Fœtus. 8vo.

9. — Edit. of Hutten of the Venereal Difeafe.

10. —Modern Quack, or Medicinal Impoftor.

11. Dr. Cockburn, of the Nature, Caufe, and Cure of Fluxes.

12. Dr. Keill's Anatomy, 12mo. 8th Edit.

13. Complete Treatife of the Difeafes of the Liver.

14. Pharmacopœia Londinenfis. 12mo.

15. Dr. Towne's, Difeafes of the Weft Indies.

16. Mifcellanea Curiofa, 3d Edit. by William Derham D. D.

17. Dr. Aubery's Guinea Man's Vade Mecum.

18. Dr. Boerhaave, of the Venereal Difeafe.

19. Dr. Wainwright, of the Non-Naturals.